

REVVA.
I.

3
1232



1. Num Joseph decessit, fruct. K.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanuele Matth. 1, 18-23.
De Edeo quō I Joh 11, 2.
3. De amictu baptiste. Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De uctu baptiste Mt 3, 4. Mr. 1, 6
5. Curat. Sup monte Mt. 5, 14.
6. De bedros quō cura Eleemosynar. Mt. 6, 2
7. Prohorum Amish. Vanitas. Mt. xv, 9.
8. De signis temporum observandis Mt. 16, 1-4
9. De curis. Petri & Kasp. Xī Mt. 16, 13-19. Incur.
10. Tu es filius dei. uentis. Mt. 16, 16.
11. De claris. Gal. Mt. 16, 19.
12. De autitate. Clav. solv. & lig. Mt. 16, 19
13. De didrachmis & Xī solutus Mt. 17, 24 &
^{Parabola}
14. Supus de opibus uirum. Mt. 20, 1-16
15. Vol. Xī congregatum uolentes Mt. 23, 37.
16. Chichitubus. De heremo Epti Mt. 24, 14.
17. De ot dazio Xī. Mt. 24, 28
18. Uter sanguinis Mt. 27, 3-11.
19. Tumba servatoris. Mt. 27, 60
20. De curi. Judas de. Mt. 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De curi. mortuor. & clar. Sancti. Mr. 6, 13. Jui. V, 14 &
22. De incarnatione Mysteris Luc. 1, 35
23. De Maria Xī preservata.
24. De nomine Iesu. Luc. 2, 21
25. De uente abpt. puentis Luc. 7, 47, 48
26. ^{αποκαίεσθαι} Luc. 8, 13.
27. Xī curi. Sabbarica Luc. xv.
28. De demonia mystica Luc. xvi, 9
29. De curi. Luc. 16, 9
- Luc. 16, 9.
- De lacrimis Xī Luc. xix, 41.
- Luc. 22, 38

du
R

+ 3



66

68

Q. B. V.

DISPUTATIO SOLENNIS,

QUA

NEXUM ET DIS-
CRIMEN DONO-
RUM GRATIÆ,

EX

TABULIS

VOCATIONIS PAULINÆ

ACT. XXVI, 17, 18.

SISTET

P R Æ S E S

JO. GEORG. NEUMANNUS,

SS. Th. D. ejusdemq; Prof. Publ. Alumn.

Elect. Ephorus, Acad. Bibliothecarius, h. t.

D E C A N U S,

&

Pro supremis in Theologia honoribus

consequendis

defendet.

M. GOTTLIEB WERNSDORFIUS,

SS. Theol. Prof. P. Extraord. & Fac. Philos. Adj.

Ad D. Decembr. A. O. R. cl^o l^o XCIX.

Horis ante- & pomeridianis.

WITTENBERGAE, ex OFFICINA MARTINI SCHULZI, ACAD. TYPOGR.



DISPUTATIO SOLEMNIS
DE
NEXUM ET DI-
SCRIMEN DONO-
RUM GRATIAE
EX
TABULIS
VOCATIONIS PAVLINE

ANNO 1774
SISTET
P. R. 7 7 7
IO. GEORG. NEUMANNUS
SS. TH. D. eiusdemq; Publ. Alumn.
Bib. Bipont. Acad. Bibliothecarius. h. e.
DEGANUS

Proscriptis in theologia honoribus
M. GOTTLIEB WERNSDORFIUS
SS. Theol. Prof. P. Kantor & Fac. Philol. Ad.
Abd. Decem. 1774. O. R. 1774. XCI.
Hort. sine & pomeridians.

WITTEBERGAE, ex OFFICINA MARTINI SCHAEPEL, 1774. 1774.





I. N. F.

§. I.



Ametfi dona gratiæ divi-
næ, quæ Christi Servatoris merito nobis
parta sunt, quam arctissimo inter se ne-
xu cohæreant, ut adeo nec temporum
intervallis distingui, nec sensibus huma-
nis percipi satis possint: tamen ita soli-
cite ac diligenter illa distinguit Scriptu-
ra, ut non tantum mente concipi sigilla-
tim queant, verum etiam, si homines gratiæ divini-
æ indigos spectes, ita se habeant, ut nonnunquam a se invicem
penitus divellantur. Quas enim DEUS omnibus offert,
imperfectigabiles gratiæ suæ opes; homines per suam
imbecillitatem illico non capiunt; quasque tam copiose in
nos effundit, Spiritus Sancti dotes, sæpe ne per stillicidium
quidem, in nos defluere patimur: quibus rebus fit, ut alios
quidem ex gratia *vocari* intelligas, neque tamen *illuminari*;
alios vicissim *illuminari* quoad intellectum, neque tamen
converti ac flecti quoad voluntatem; alios *fidem* ex verbo con-
sequi, adeoque *regenerari & justificari*: ab aliis vero, istas
gratiæ salutaris divitias, in universum repudiari. Itaque
διαρέσεις τῶν χαρισμάτων sunt, ut inquit Apostolus, *sed idem*
DEUS, qui omnia in omnibus efficit 1. Cor. XII, 3. 4. 6.

§. II. Quemadmodum ergo *communis gratiæ* actus
ita discernimus, ut aliud DEI beneficium, *vitam*, aliud

A 2

confer-

conervationem vitæ, aliud bonam valetudinem, aliud porro, pulchritudinem, aliud, vestitum, honores, divitias, & agnoscamus, & describamus seorsim, & Davidis exemplo, pro singulis beneficiis singularem DEO hymnum, psallere debeamus, Eccl. XLVII, 9. ita quoque salutaris illius gratiæ actus accurate distinguendi sunt, aliaque & peculiaris dicenda DEI gratia est, qua nos vocat, alia, qua nos illuminat, iterum alia qua nos convertit, alia, qua nos regenerat, alia vicissim, qua nos justos pronunciat &c. Ut adeo dignum homine Christiano officium sit, DEUM, pro qualibet benedictione spirituali, qua nos in cœlestibus ditavit, identidem concelebrare, præeunte nobis Apostolo, Eph. I, 3.

§. III. Cuiusmodi vero illud discrimen sit, & quo potissimum nomine appellandum, non una omnium sententia est. Aliqui hæc DEI beneficia, ut formales actus, alii ut gradus, alii denique ut species differre iudicant sic ut ex intentione DEI in Scripturis revelata, cuius gratiæ divinæ, aliam naturam, alium operandi modum, & alium effectum proprium assignent, quæ ipsi B. Hülsemanni assertio est, de Auxil. gratiæ p. 20. 30. Verum nulla inter hos pugna est: cum omnium facile sententias in hoc convenire existimem: salutes illos gratiæ divinæ actus, inter se specie differre quidem, attamen si in subjectis spectentur ipsis, suis etiam gradibus distingui. Id quod vel ex uno Scripturæ loco probatum dederim. Cum enim Apostolus, Eph. III. hos gratiæ divinæ actus de prædicat, communem notionem & conceptum, ut loquimur, genericum ponit: οἰκονομίῳ τῆς χάριτος, v. 2. i. e. dispensationem gratiæ divinæ. Hanc vero ipsam mox πολυποίκιλον τὴν σοφίαν τῆς θεοῦ appellat, i. e. sapientiam, quæ peculiaribus formis, & suis quasi speciebus distincta sit v. 10. Denique gradus & incrementa, huius gratiæ in Ephesiis observat: dum fidem illorum talem describit, quæ ἐκκαθεῖν ἐν ταῖς θλίψεσιν, deficere in calamitatibus

tibus v. 13. iterum vero κραταιωθῆναι διὰ τῷ πνεύματι, corroborari per Spiritum v. 16. dehinc ἐρριζοῦσθαι καὶ θεμελιῶσθαι, radicari penitus & fundari possit p. 17.

§. IV. Ceterum, quo nexu copulentur hæc χαρίσματα, quaque serie invicem sese excipiant: res explicatu quidem difficilis, at tanti tamen momenti est, ut gravissimarum inde controversiarum decisio pendeat. Dissentium vero Nostratum in his ordinandis, vel inde natum censemus, quod plerique illorum, doctrinæ ordinem amplexi fuerint, iufficere arbitrati, si quilibet gratiæ divinæ actus distinguatur saltem, atque explicetur recte, quocumque tandem nexu cum reliquis jungatur. Sed enim vero, cum inordinata non sit œconomia cælestis, qua in exhaustam illam charismatum suorum copiam dispensat DEUS, ipsæque sacræ literæ, cum juncturas & compagine, tum diversos illorum exitus tam sapienter indicent; etiam naturæ ordinem, cum aliis, investigare, non spernendum operæ pretium esse duxi. Dispicienti vero de ejusmodi Scripturæ loco, in quo pleraque omnia, velut ἐν συνόψει exhiberentur; digna consideratione mihi visa est miraculosa illa προσφώνησις Servatoris, qua Paulum, sævitiam & mortem spirantem represit, atque ad obeundum munus Apostolicum evocavit: Ἐξαίρῃμενός σε ἐκ τῶ λαῶ καὶ τῶν ἐθνῶν, εἰς ὃς νῦν σε ἀποστέλλω. ἀνοίξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, τῶ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκοτῆς εἰς φῶς, καὶ τῆς ἐξουσίας τῶ σατανᾶ ἐπὶ τὸν θεόν, τῶ λαβεῖν αὐτὸς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ κληροῦν ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, πῖσει τῆ εἰς ἐμέ. Eripio te a populo & gentibus, in quas nunc te mitto, ad aperiendum oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, & a potestate Satanae ad DEUM, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos per fidem, quæ est in me. Act. XXVI, 17. 18.

§. V. Occasio hujus oraculi ex antecedentibus patet.

tet. Nam vinculis detentus Apostolus, jamque ad Agrippam Regem delatus, extenta manu, quod *παρρησίας* indicium erat, innocentiae suae causas perorat, v. 1. Ac initio quidem, objecta sibi a Judæis crimina diluit, & vitam pure religioſeque actam, ex Pharisaicæ sectæ, cui addictus fuerat, rigidioribus institutis, demonstrat v. 25. Quod ipsum orationis illius quasi exordium esse videtur. Dehinc, caput fidei primarium de CHRISTO, Messia, Judæis ac gentibus promisso, tractat; quem verum DEI filium esse, triplici argumento confirmat: *primum* ex Scripturis V. T. depromit, in quibus hæc *επαγγελία* Patribus proposita sit, v. 6, 8. *it. 22.* *alterum* a miraculosa Christi resurrectione ducit, quam & ipsam, quondam sibi *ἀπίστον* visam, non dissimulat, donec contra stimulum calcitrare desierit, v. 8-12. 23. *Ultimum* a τῆ *ὄρασι* *ὀπτασία* desumit, qua, & visum sibi Jesum Nazarenum, & voce terribili auditum fuisse, commemorat, adeo ut subito quodam luminis fulgore correptus, una cum suis comitibus in terram prociderit; dehinc blandis firmis verbis surgere jussus, colligendæ Ecclesiae rationes perceperit; quas proinde, non secus ac *Tabulas Vocationis Pauline* intuemur.

§. VI. Antequam vero donis gratiæ, quæ *sanctificantiæ* vocantur, dispensandis idoneus foret, *administrantibus* illis, quæ appellantur, primum instruendus erat Apostolus. Neque tamen i.) hæc dona ex meris naturæ viribus hausta existimari debent, ceu hodie nonnulli contendunt, qui ipso Pelagio audaciores, & *sensum Scripturæ literalem*, & *totius fidei analogiam intelligere*, non nisi pro naturæ dono venditant, idemque creationis beneficiis accensent. At enim vero dotes administrantes non nisi gratiæ suæ, vendicat Christus, dicens: *ego constitui te ministrum & testem b. l. v. 16.* Idque agnoscit Apostolus, cum,
fa-

factum se ministrum, inquit, secundum donum gratia DEI; sibi-
que minimo omnium sanctorum datam esse gratiam hanc (en-
quam constanter gratiam appellitet donum admini-
strans) ut inter gentes evangelizet imperfestigabiles divitias
Christi, *Epb. III, 7, 8.* Neq; vero tantum rerum divinarum in-
telligentiam, sed ipsam quoque *ικανότητα* aliquid cogitandi
de iis, ex DEO esse, fatetur, *2. Cor. III. 5. 6.* In quem locum,
confutato prius Pelagio, sic commentatur B. Selnece-
rus: Ministerium non est nostrarum virium, sed quicquid est sa-
lutare, ipsa predicatio, progressus, augmentum, virtus & effica-
cia, DEI opus & donum est, *Comment. ad h. l. p. 871.* Ac proinde
hæc dona 2.) non cuiusvis sexus aut status hominibus
communia, sed iis peculiaria propriaque sunt, qui ad
præconium verbi rite vocantur, ac populo velut exi-
muntur. Paulum enim *ἐξαίρεισθαι ἐκ λαῶν καὶ ἐθνῶν*, eripere a
populo & gentibus voluit Christus: pari gratia, qua Jose-
phum *ἐξείλετο*, eripuit DEUS ex omnibus afflictionibus, & de-
dit ei gratiam & sapientiam coram Pharaone Rege Ægyptiorum,
Act. VII, 10. Ut adeo Ministerium sacrum ex mente Chri-
sti, haud incongrue *ἐξαιρέσιν ἐκ τῶν λαῶν*, vel cœtum *ἐξαιρέτων*,
delectum, & segregatum a vulgo, dixeris. Non sane, ut
quandam vel *κυριότητα* vel *ἐξογὴν* sibi præ reliquis homini-
bus arrogare debeat; (Paulus enim *ὕπηρέτης* saltem, i. e.
remex ac minister h. l. constituitur a Christo; nec arrogan-
ter de se sentit: Sic nos aestimet homo, inquit, *ὡς ὑπηρέτας*
Χριστοῦ, καὶ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ, *1. Cor. IV, 1.* nec ullo frequentio-
ri titulo quam *τῆς διακονίας*, hoc suum officium celebrat.,
Act. XX 24. Rom. XI, 13. 2. Cor VI, 3. Col IV, 19. 2. Tim. IV, 11.) sed, ne
popello, & mixtæ hominum multitudini permittatur,
iacta hæc *διακονία*, ipsumque discrimen docentium ac au-
dientium tollatur e medio, & plena turbarum omnia
reddantur, contra *1. Cor. XIV, 33.* Denique 3.) *immediata*
quandoque & extraordinaria hæc dona sunt, velut in Pro-
phe-

phetis & Apostolis id erat conspicuum; vel *mediata*, & *ordini a DEO instituto congrua*, qualia DEUS usque ad seculi consummationem Ecclesiæ promisit, *Matth. XXVIII, 20.* Quod si *externas ministerii causas* & *περιστασεις* respicias, multum omnino distant inter se facultates istæ; sin vero *formale illius internum*, quod est *DEI gratiam dispensare hominibus* consideres, discrimen utrinque non allegat Scriptura. Nam Apollo perinde *σύνεργος* DEI, ac Paulus, dicitur, *1. Cor. III. 5. 6.* cum tamen ille non *ἀμέσως*, sed in schola Johannis informatus, dehinc *a Priscilla & Aquila plenius edoctus viam DEI fuerit*, *Act. XVIII, 25, 26.* Sic & Timotheus *se ipsum & alios salvos facere per doctrinam* dicitur, *1. Tim. IV, 16.* quem tamen non immediate a DEO, sed a Paulo vocatum, ex *Prophetiis instructum & impositione manuum bresbyterii confirmatum* fuisse constat *1. Tim. I, 3. 1. Tim. IV, 14. 2. c. I, 5.* Etsi proinde extraordinaria quædam, quoad circumstantias vocationis, hic apud Paulum, ut & alios, in Ecclesia, plantanda cum primis, contigerint, de quo lux de cælo exorta, & insolita Christi vox h. l. testantur: tamen nec sine verbo convertebatur ille, nec sine ministerio humano, ad sacrum hoc munus obeundum instruebatur: Siquidem Verbum Legis fuit: *Saul Saul, quid me persequeris*: Verbum autem Evangelii: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris.* Itaque tam miraculose excitatus, cum, *quid faciendum sibi*, rogaret; ordini divinitus instituto se submittere, Ananiam audire, *χειροθεσίας* ritum suscipere, & Baptismi sacris initiari iussus est *Act. IX, 6, 17, 18.*

§. VII. Verum de *χαρίσμασι τῆς διακονίας* hæc delibasse sufficiat, quando de *χαρίσμασι τῆς σωτηρίας* agendum nobis est ex instituto. Utut enim tanta horum copia sit, ut numerum facile excedant, ideoque *ἀνεξιχνίας* & *ὁ πλῆθος*, *impervestigabilis quadam opulentia* ipsimet Apostolo appellen-

lentur: tamen ea potissimum hic recenserebimus, quæ in tabulis vocationis Paulinæ delineata sunt, & ex œconomia gratiæ divinæ uberrime omnium distribuuntur, vel, ut alias loquimur, nobis applicantur. Primum itaque donum gratiæ, VOCATIO est, seu *Gratia vocans*, qua DEUS hominibus extra Ecclesiam constitutis, ex seria intentione voluntatem suam per verbi ministros manifestat, & beneficia a Servatore acquisita offert, ut ad Ecclesiam Christi adducantur, illuminatique convertantur, credant, & salutem æternam consequantur. Atque hoc ipsum *missio ad gentes* infert, signate hoc textu expressa, quippe quæ vocationem, ut finem formalem & proprium respicit, juxta illud parabolæ: *misit servos suos, ut vocaret invitatos ad nuptias*, Matth. XXII, 3. *Subiectum* ergo *vocandum* homines sunt extra Ecclesiam degentes. Nam *ex judæis & Gentibus vocavit nos*, dicente Paulo Rom. IX, 24. Quod vero illos attinet, qui in Ecclesia jam sunt, proprie loquendo non vocari aut colligi ad Ecclesiam, sed iterata verbi annunciatione doceri ac eruditi ad salutem dicuntur. 2. Tim. III, 15. Gal. I, 6. 9. Atque hinc etiam *Terminum a quo cognoscere licet, qui status peccati & profundissima miseria est*; unde homo per vocationem egredi jubetur. Nam quoad hæret in hac sentina mali, positus est *extra Christum, extraneus a Testamentis promissionis, spei expers, imo à Deo* Epb. II, 12. Gal. IV, 8. 1. Thess. IV, 5. *Terminus ad quem formalis*, vocatio passiva est; *objectivus* vero, Ecclesia s. communio fidelium, ad quam homo perducitur. Id quod Scriptura diserte affirmat: *Vocati estis, inquit Paulus, in communionem Filii DEI, Jesu Christi, Domini nostri.* 1. Cor. I, 9. *DEUS vocavit vos in suum regnum (gratiæ ac gloriam)* 1. Thess. II, 12. *Vocati estis, ut suis in uno corpore (Ecclesia)* Col. III, 15. Idemque adhuc dilucidius patet ex

B

mandato

mandato Christi. Nam profecturos in mundum universum primo jubebat μαθητεύειν πάντα τὰ ἔθνη, i. e. *facere discipulos*, præviaque institutione, in disciplinam ac societatem suam recipere, quæ verbi vis est, Jo. IV, 1. Act. XIV, 22. postea demum, si forent infantes, adeoque doctrinæ incapaces, βαπτίζειν, sin vero adulti, διδάσκειν v. 20. donec & ipsi Baptismum insignaculum fidei susciperent. Neutiquam enim privilegiis Ecclesiæ frui poterant, qui jus Civitatis DEI nondum fuerant adepti, conf. Act. II, 39. Ceteras, quæ circa vocationis gratiam moventur, quæstiones, ne quidem attingimus, quandoquidem hoc unum, nobis investigandum proposuimus, quo pacto inter se cohæreant χάρισματα divina, & quibus adeo terminis limitibusque circumscribantur.

§. VIII. Alterum itaque donum gratiæ, ILLUMINATIO est. Qui enim vocationi divinæ locum relinquunt homines, jamque in Ecclesiam, ubi verbum audibile & visibile dispensatur, perducti sunt; non possunt non, per utrumque medium, nisi respiciant istud, illuminari. Sic enim cum vocatione passiva hanc gratiam connectit Servator: ἀνοίξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, *ut aperias oculos eorum*. Eundemque hunc ordinem constanter retinet Scriptura: *DEUS e tenebris vos vocavit in admirabilem suam lucem*, 1. Pet. II, 9. Item: *Expergiscere qui dormis, & surge a mortuis*, (en formulam vocationis) & *illucescet tibi Christus* (en gratiam illuminationis) Eph. V, 14. Nec aliter de hoc ordine Pii confessores sentiunt: *DEUS in aeterno suo consilio ordinavit, ut Spiritus S. electos per Verbum vocet, illuminet, atque convertat* &c. F. Conc. p. 808. Idem B. Lutherus Catechumenis inculcat: *Spiritus Sanctus totam Ecclesiam in terra vocat*

cat ; (en quam accurate vocationis terminum ad quem
observet, congregat ; illuminat, sanctificat, & in JESU
Christo per veram fidem conservat. Art. III. Symb. Ap. Equidem
fateor, a quibusdam, illuminantem hanc gratiam, pe-
culiari capite non proponi, unde occasionem crimi-
nandi sumunt Novatores, ac si nulla propemodum
huius doctrinae ratio habeatur in corpore Theologiae
nostrae. Sed enim vero parcius ista Doctoribus nostris
objicienda erant ; cum vel ipsa catechetica institutio
contrarium testetur : Theologi autem Acroamatici
hanc doctrinae partem vel seorsim tradant, vel in ca-
pite de Conversione & Regeneratione, ubi priores fi-
dei gradus, *notitia* videlicet, & *assensus*, explicandi sunt,
affatim proponant.

§. IX. Interim tamen cum Scriptura hanc do-
ctrinam tam sedulo iuculcet, & in ipsis vocationis Pau-
linae tabulis, velut singularem gratiae actum, descri-
bat : satius omnino visum est, illos sequi, qui pecu-
liare quoddam caput huic charismati assignant. Mit-
titur enim gentium Doctor ἀνοίξαι τὰς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν
ad aperiendum oculos eorum. Quam quidem dictionem
adeo elevat novellus Aristarchus, Jo. Clericus, ut non
adsvetos existimet idiomati sacrorum Librorum, qui
aliquam hic vim aut emphasin vocum observent,
in Arte Critica p. 84. Sed vero ἐμφατικότερον omnino,
& tam foecundi sensus, hic modus loquendi est, ut
vel integram de illuminatione doctrinam intelligere
hinc queas. Tropica enim & translata haec dictio est ;
cujus eam constat esse indolem ; ut augeat conceptus
& rem abstrusam velut manibus palpandam sistat.
Mentem vero hominis quis unquam vidit ? Itaque



cum oculis hanc comparat Spiritus Sanctus, ut ex il-
 lorum apertione de hujus quoque illuminatione judi-
 care liceat. Et dignum quidem notatu est, quod
 LXX. Senes, Hebræorum $\eta\pi\alpha$ i. e. *aperuit*, subinde $\pi\epsilon\alpha\iota\sigma\tau\epsilon\iota\sigma\iota$
 reddiderint, iis quidem in locis, ubi apertio oculo-
 rum miraculosa, describenda fuit. Sic, cum DEUS dici-
 tur *aperuisse oculos Hagare, ut videret fontem, Gen. XXI, 19.*
 LXX. eodem hoc verbo id exprimunt: $\alpha\acute{\nu}\epsilon\omega\zeta\epsilon\upsilon\ \delta\ \Theta\epsilon\acute{\omicron}\varsigma$
 $\delta\ \phi\theta\alpha\lambda\mu\acute{\omicron}\varsigma\ \alpha\upsilon\tau\eta\varsigma$; *aperuit DEUS oculos ejus.* Iterum, cum
 Elias filium Sunammitidis revocasset in vitam;
 $\eta\ \nu\omicron\iota\zeta\epsilon\ \tau\acute{\omicron}\ \pi\alpha\iota\delta\acute{\alpha}\rho\iota\omicron\nu\ \tau\acute{\omicron}\varsigma\ \delta\ \phi\theta\alpha\lambda\mu\acute{\omicron}\varsigma\ \alpha\upsilon\tau\bar{\omicron}\ \alpha\pi\epsilon\rho\upsilon\iota\tau\ \rho\upsilon\epsilon\rho\ \omicron\upsilon\lambda\omicron\varsigma\ \sigma\upsilon\omicron\varsigma.$
2. Reg. IV, 35. De Syris etiam cœcitate percussis idem
 verbum usurpant: $\delta\iota\eta\nu\omicron\iota\zeta\epsilon\ \kappa\acute{\upsilon}\rho\iota\theta\ \tau\acute{\omicron}\varsigma\ \delta\ \phi\theta\alpha\lambda\mu\acute{\omicron}\varsigma\ \alpha\upsilon\tau\bar{\omega}\nu,$ $\eta\ \epsilon\acute{\iota}\delta\omicron\nu,$
aperuit DEUS oculos illorum & viderunt. 2. Reg. VI, 20.
 Atque ab hac miraculosa oculorum apertione Prophe-
 tæ mutuati sunt vaticinia, quibus illuminationem de-
 scribunt sub N. T. futuram: $\tau\acute{\omicron}\tau\epsilon\ \alpha\ \nu\omicron\iota\chi\theta\eta\sigma\omicron\nu\tau\alpha\ \eta\ \rho\eta\tau\eta\ \eta\ \eta\ \phi\theta\alpha\lambda\mu\acute{\omicron}\iota\ \tau\upsilon\phi\lambda\bar{\omega}\nu,$
tum aperientur oculi cœcorum Es. XXXV, 5.
Ego Jehova vocavi vos in iustitia, $\eta\ \rho\eta\tau\eta$ ad aperiendum o-
culos cœcorum, $\alpha\ \nu\omicron\iota\zeta\alpha\ \delta\ \phi\theta\alpha\lambda\mu\acute{\omicron}\varsigma\ \tau\upsilon\phi\lambda\bar{\omega}\nu.$ Es. XLII, 7. I-
 taque eodem verbo Christus dicitur aperuisse disci-
 pulis mentem ad intelligendas Scripturas, *Luc. XXIV, 45.* Sic
 & Lydiæ, Dominus *aperuisse cor* dicitur, *ut attenderet iis,*
quæ docebantur a Paulo, Act. XVI, 14. Nervosissime autem
 rem explicat Apostolus, cum $\pi\epsilon\phi\omega\tau\iota\sigma\mu\acute{\omicron}\nu\varsigma\ \tau\acute{\omicron}\varsigma\ \delta\ \phi\theta\alpha\lambda\mu\acute{\omicron}\varsigma\ \tau\eta\varsigma\ \delta\iota\alpha\nu\omicron\iota\alpha\varsigma,$
illuminatos oculos mentis, Ephesiis jam vo-
 catis precatur. *Eph. I, 18.*

§. X. Quibus sic explicatis, ipsam illuminationis naturam intelligi ex hac Phrasi posse existimo. Nam 1.) *Subjectum*, circa quod gratia illuminans occupatur, intellectus hominis irrogeniti est, qui instar oculi excœcati nullis in se videndi viribus pollet, sed
 mede-

medelam a virtute forinsecus obvia expectat. 2.) *Medium* oculos mentis aperiendi, Lex æque ac Evangelium est. Ex illa enim ἐπιγνώσις i. e. morbi agnitio, Rom. III, 20. ex hoc vero Spiritus & vita est, Job. VI, 63. Ac proinde Legalem aliam, dixeris illuminationem, quæ peccatum iram DEI, & pœnas æternas nobis manifestat; dicente Paulo: peccatum non cognovi nisi per legem, Rom. VII, 7. & Psalte: Ex mandatis tuis intelligens factus sum: ideo odi omnem viam mendacii. Lucerna pedibus meis verbum tuum; & lux semitis meis. Psalm. CXIX, 104, 105. aliam vero Evangelicam; quæ gratiam DEI, justitiam & salutem æternam nobis revelat: siquidem Justitia DEI per Evangelium patet, ex fide in fidem, Rom. I, 17. ipsaque hæc patefactio, Φωτισμός τῶν Ἐωαγγελίῳ appellatur, 2. Cor. IV, 3. 3.) *Forma* quoque & ratio illuminationis hinc dispalescit, quippe quæ partim in ablatione naturalis cœcitatatis, & sapientiæ carnalis; partim vero in instauratione supernaturalis intelligentiæ & sapientiæ spiritualis consistit. Utrumque enim ἀνοιξίς & apertio illa oculorum haud obscure innuit, quam Servator Ministerio verbi h. l. injungit. Primo enim tollere jubet cœcitatem illam congenitam, quæ non simplex tantum absentia & privatio est sapientiæ & veritatis, subjecto inesse debitæ, quam ideo Scriptura ὑπέρησι τῆς δόξης τῆς Θεῶν i. e. carentiam lucis divine sapienter appellat, Rom. III, 23. sed etiam admixta quædam impuritas est, velut in Scripturis vocatur, sapientia carnalis, Φρόνημα τῆς σαρκὸς Rom. VIII, 6. itemque σοφία τῆς κόσμου sapientia hujus mundi 1. Cor. I, 20. Habet enim mundus suam sapientiam sed tenebris arrogantiæ immersam, ut sese contra sapientiam divinam efferat, & velut ὑψωμα extollat κατὰ τῆς γνώσεως τῆς Θεῶν adversus cognitionem DEI,

λογισμῶς, discursus sapientes contra eam moliatur, & πᾶν νόημα omnem cogitationem obedientia Christi opponat, 2. Cor. x, 4, 5. Deinde aciem mentis depravatæ instaurare jubet, & viribus sapientiæ cælestis perfundere, quæ in regeneratione erumpant in actum. Id quod eadem hæc ἀνοιξίς indicat. Quemadmodum enim cæcus, recepta videndi facultate per adaptionem oculorum, initio videt ac prospicit: postea, oculis in objecto quodam defixis, illud multo attentius contemplatur: ita quoque homo per gratiam illuminantem, redditur idoneus, ad consequendam primo γνῶσιν, seu notitiam, qua non tantum generatim apprehendit, quæ in Scripturis proposita sunt, sed & speciatim promissiones Evangelicas de justitia & vita æterna, per Christum indispiscenda penetrat ac intelligit; atque hæc apprehensio intellectualis cognoscitiva Philosophis, Scripturis autem, γνῶσις τῆς σωτηρίας Luc. I, 77. itemque γνῶσις τῆ χειρῶν, Job. XVII, 3. &c. dicitur. Deinde etiam ad assensum huic notitiæ conjunctum perducitur, quo cum id omne, quod in Verbo DEI patefactum est, tum imprimis, Evangelium de remissione peccatorum per Christum impetranda, pro certo & indubitato habet; atque hæc apprehensio alioquin intellectualis assensitiva: in S. literis, autem ἐλεγγος Hebr. XI, 1. λογισμῶς Rom. III, 28. πεποιθήσις item Eph. III, 12. appellatur. Fiducia enim, nobilissima illa pars fidei, cum Subjectum suum, voluntatem, seu cor, ut Scriptura loquitur, agnoscat, non poterit oriri ante, quam ipsamet hæc voluntas per Conversionem subacta, & cor adeo contritum fuerit, ut recipere bonum justicum, eodemque salutariter frui possit. 4.) Hinc etiam liquet: hominem in illuminationis negotio sese mere habere
passive

passive, utut illuminatus deinde formaliter intelligat. Nam cui *aperiendi sunt oculi*, nihil sibi ipsi, sed omnem in solidum opem τῷ ἰατρῷ adscribit. Quid, quod ne τὸ γνῶναι quidem homini, sed ipsi DEI vendicet Apostolus: *posteaquam cognovistis DEUM, quin potius cognite estis a DEO. Gal. IV, 9.* 5.) Ex eadem hac phrasi intelligas, non immediate amplius, sed mediante Verbi Ministerio hominem illuminandum esse. Nam Christus *ministerium ac testem constituit Paulum*, cui munus *aperiendi oculos* committit. Postea vero & dedit alios, cum Pastores, tum Doctores, *ad instaurandum plures sanctos in opus ministerii, & adificandum corpus Christi, Epb. IV, 11, 12.* 6) Denique non per *raptum, aut ecstasice*, sed per *incrementa & successive*, illuminationem hanc fieri, peræque patet. Namque non uno momento perficitur ἀνοιξίς τῶ ὀμμάτων, sed per temporis intervalla. Uti enim cæcus ille, cui Christus visum reddiderat, initio dicebat: *videre se homines, velut arbores ambulantes: paulo post cum rursus, manus oculis eius admovisset, videbat τηλαυγῶς dilucide, omnes, Marc. VIII, 24. 26.* Ita quoque cum intellectu hominis comparatum est: aliquando μωτάζεις 2. Pet. I, 9. i. e. quodam oculorum vitio laborat, nec eminus objecta intueri potest. Tandem εὐδαιμόνια γεγυμνασμένα impetrat, *ad dijudicationem boni & mali, Hebr. V, 13, 14.* 7.) Hinc tandem de extremis hujus gratiæ judicari potest. Nam *Terminus a quo* cæcitas mentis est, & illa quidem hominis ad Ecclesiam jam perducti: *Terminus vero ad quem*, illuminatio intellectus receptiva, quæ in Conversione, quoad *notitiam Legis*: in Regeneratione, quoad *notitiam Evangelii* plenius perficitur. Nam apertioni oculorum *activæ* respondet receptio visus *passiva*, quæ in suos de-
inde



inde actus se exerit. *Ephes. I, 18. 1. Cor. III, 12, 3. Rom. VIII, 7, 8, 9. Vid. Celeberr. Dn. Bucherus in Ratmanno Red. p. 156. seqq.*

§. XI. Illuminato igitur intellectu, nihilominus adhuc fieri potest, ut voluntas refractaria sit, nec sub fidei obedientiam redigi sese patiatur. Ita Festus, dogmate de resurrectione Christi audito, non dissimulat se velut iudicem illud cognovisse; Sed defuit assensus: ideoque *hesitasse se*, dicit, *de hac questione. Act. XXV, 19, 20.* Vicissim Agrippa, non modo notitiam de Messia ex concionibus Paulinis hauserat, sed insuper assensum præbuerat Prophetis de Christo testantibus; interim tamen fiduciam in ejus Meritum ponere, & per hoc sibi promittere vitam æternam renuebat, his verbis: *Propemodum persuades mihi, ut fiam Christianus, Act. XXVI, 28.* Itaque illuminationem Gratia convertens, seu ipsa **CONVERSIO** excipere debet, dicente Servatore: τῷ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκοτῆς εἰς φῶς *ut convertantur a tenebris ad lucem.* Initio, de sensu nobis dispiciendum est, evolutis vocabulis, quæ difficultatem aliquam videbantur relinquere. Nam τὸ ἐπιστρέφειν, quod verbo כִּיב in V. T. Scripturis exprimitur, ex eorum numero est, quæ, cum respiciunt principium agens, *activam*, ubi vero ad *subjectum* referuntur *passivam* significationem obtinent. Nam actio & quæ ei respondet passio, sunt unus motus, qui proinde cum ab agente procedit, *actio*, cum vero a *subjecto* recipitur, *passio* denominatur. Jam si in hoc textu ellipsis per particulam ἕνεκα suppleatur; quemadmodum id structura exigit; sensus emergit: τῷ ἐπιστρέψαι scilicet ἕνεκα; *missus es convertendi gratia*, seu ut te convertente, illi convertantur. Itaque Christo, ut **Autori**, Paulo, ut ministro conversio adscribitur, sic tamen,

men, ut in gentibus terminum suum consequatur. Quod vero πρόθεσιν attinet ἀπὸ σκοτῆς εἰς Φῶς. existimari quidem poterat, ἐκ τῆς περισσῆς descriptam esse illuminationem, ab apposito τῆς σκοτῆς; Sed non admittunt περισσολογίας Tabulæ vocationis Paulinæ: quin potius peculiarem gratiæ actum, *Conversionem* hic designari putamus; qua, voluntas, carnis desideriis indulgens, per Legem frangatur & ad recipiendum CHRISTUM impellatur. Non enim intellectus tantum, sed etiam voluntas, & hæc vel maxime, τῆς σκοτῆς subjectum est. Nam diligere τὸ σκοτῆ, & odisse τὸ Φῶς dicuntur, qui non credunt *Job. III, 19.* Idem & perpetrare, ἐργατῆ σκοτῆς, *Rom. XIII, 12. Eph. V, 11* Sedere ἐν σκοτει *Luc. I, 79. Rom. II, 19.* περιπαθεῖν ἐν τῷ σκοτει *1. Jo. I, 6. Jo. XII, 35.* perhibentur. Atque hæc omnia hujusmodi opera sunt, quæ a Voluntate, seu promixa causa, proficiscuntur. Contra vero τὸ Φῶς, fidem in sacris literis notare, ubi tenebricosis operibus opponitur, nemo facile negaverit, testantibus id clarissimis locis *1. Jo. II, 9. 11. Eph. V, 8. Matth. V, 16.* Unde etiam filii lucis, a filiis tenebrarum, i. e. credentes, a non credentibus, tam clare distinguuntur, *Luc. XVI, 8. Jo. XII, 36. 1. Thess. V, 5.* Sicque adeo *Conversionem*, per hanc phrasin, haud obscure indigitatur.

§. XII. Verum, intra quos terminos contineatur hæc *Conversionem*, & quomodo a reliquis gratiæ divinæ actibus, ac Regeneratione cum primis, distinguatur, non obiter disquiri solet. Mira enim sententiarum divortia hic deprehendas, quæ tyronem in progressu sæpe, vel distineant, vel turbent. B. D. Königio, cujus Theologiam Acroamaticam merito exosculamur omnes, *Primo, Vocationem* collocat, *II. Regenerationem*, *III. Conversionem*,

C

Conversionem,

tionem, IV. Poenitentiam, V. Justificationem, VI. Unionem mysticam, VII. Renovationem. Paulisper autem hinc digreditur B. Calovius noster, cum œconomiam horum charismatum sic ordinat: Primum omnium, *Vocatio* ipsi est; hanc enim plerique omnes, reliquis actibus gratiæ præmittunt. II. sequitur *Illuminatio*. III. *Regeneratio*. IV. *Conversio*. V. *Justificatio*. VI. *Poenitentia*. VII. *Unio mystica cum fidelibus*. VIII. *Unctio Spiritualis*. IX. *Sanctificatio seu Renovatio*. X. *Glorificatio*, *Theol. Posit. pag. 486. Tom. X. Syst. p. 1. seq.* Ad eundem modum actus DEI salutare disponit Vener. D. Deutschmannus noster, qui in primis Conversionis & Regenerationis gratiam distinguit, tum & communicationem ex unione mystica fluentem pulcerrime explicat, & Desponsationem insuper fidelium adjungit, ut actum gratiæ singularem, *Tb. Bibl. p. 337. sq. & in Synopsi Theol. Bibl. p. 152.* Videas autem alios, iterum alium ordinem constituere, prout connexionis suæ quisq; causas habuit. Sic B. Hulsemannus. I. *Vocationem redemptorum* ponit. II. *Vocatorum Conversionem per poenitentiam*. III. *Vocatorum conversionem per BAPTISMUM*. IV. *Vocatorum Justificationem per fidem* (adeoque Regeneratio eisdem accepta & Justificatio ipsi in odina mēvta sunt.) V. *Justificatorum renovationem & Bona Opera*. VI. *Justificatorum Confirmationem & conservationem*, per SACRAM COENAM. VII. *Justificatorum Unionem mysticam & perseverantiam*. IIX. *Fidelium perseverantium Prædestinationem ad vitam æternam*, *Brev. Theol. c. VIII, IX, seq.* Ceterum D. Henr. Hœpfnerus, qui Articulos Fidei studiosissime, connexuit, hoc ordine procedit: I. agit de *vocatione hominum ad salutem*, adeoque velut ex occasione, de *Promissionibus & Comminationibus Divinis*, ipsiq; adeo *Testamen-*

stamentis. II. De Conversione. III. De Pœnitentia. IV. De
Predestinatione. V. De Justificatione. VI. De Libertate
Ecclesiastica. VII. De Sanctificatione. VIII. De Bonis Ope-
ribus Loc. Theol. p. 415. seq. Addo hic D. Danhauerum,
cui primum charissima Vocatio est. II. Justificatio.
III. Regeneratio. IV. Perseverantia Sanctorum. V. In-
vocatio. VI. Renovatio. Hodof. p. 864. sq. Tandem
D. Wilhelmum Lyserum nostrum omittere non li-
cuit, quo nemo facile copiosius hæc charismata ex-
posuit, nec quisquam fere sollicitius distinxit. Quod
si recensere singula instituerem, vel solam illorum e-
numerationem pagina non caperet. Singularia enim
quædam capita sunt, & ad gratiam divinam extollen-
dam insigniter facientia. Itaque, ut pauca saltem deli-
bem, figillatim ac distinctis capitibus agit: de prima
Vocatione: de vocantis DEI intentione: de vocationis restau-
ratione. Porro seorsim tractat, de Christi receptione &
appropriatione: de Translatione in statum gratia: de impu-
tatione fidei: de justi declaratione: de Patris adoptione: de
Filii desponsatione: de Extructione Templi Spiritus S., de Ob-
signatione Spiritus S. Et, quod mireris, alium gratiæ actum
Renovationem, alium vero Sanctificationem constituit:
quæ alioquin pro Synonymis habentur. Tum
vero speciatim de Fidei initio: de Fidei augmento: de Fi-
dei probatione, differit, ut nihil de ceteris addam. Vid.
" Systema Thetico-Exegeticum, nuper a nobis edi-
" tum, a p. 1084. ad p. 1679. Cur enim, quæ Spiritus S. ut
singularia beneficia nobis revelavit, figillatim descri-
benda, ponderanda & in laudes divinas referenda non
sint? Nam Scriptura non unam aut alteram tantum
gratiam deprædicat, sed רב חסדים multitudinem miseri-

C 2

609-

hunc omnino non vult esse
dubie

cordiam DEI (en numerum pluralem cum ipsa multitudine conjunctum) *Tren. III, 32.* Eadem extollit hanc œconomiam charismatum, ut coronam, fulgentissimis gemmis radiantem: *coronat te DEUS, misericordia, וְרַחֲמִים* & *miserationibus, Psalm. CIII, 4.*

§. XIII. Cum proinde gemmarum instar distinctæ sint Miserationes istæ, opera sane contemnenda non est, quæ in iis ordinandis, & κατ' εὐταξίαν digerendis consumitur. Quamobrem & Gratiam convertentem, velut actum Spiritus S. peculiarem intuemur, & a Gratia regenerante distinguimus. Saltem vox ipla Conversionis ab ambiguitate sua liberanda est. Nam (1) *latius* patet, ac plura continet, quam ad Conversionem, εἰδικῶς dictam pertinent. Neque vero Scriptorum Ecclesiasticorum tantum, sed et Scripturæ usu recepta est illa vocis significatio. v. c. cum *gaudere dicuntur Angeli in caelis super homine converso ac pœnitente Luc. XV. 10.* dubium non est, quin Justificatio ipsa & Renovatio simul hic includantur. Idque tum maxime Scriptura indigitat, cum de *Conversione ad DEUM*, citra ulteriorem περιθεσιν, loquitur, *Act. IX, 35. c. XI, 21. c. XIV, 15. c. XV, 3, 5, 7.* Cum enim alibi distincte recensuerit reliquos gratiæ actus, hic uno Conversionis vocabulo, simul omnes complectitur. (2.) Paulo *strictior* vocis usus invaluit, ut & immutationem voluntatis per Legem, & donationem fidei per Evangelium, quæ alias gratiæ regenerantiis est comprehendat, & immediate ante Justificationem terminetur. Neque hæc vocis acceptio facris literis ignota est. E. gr. *convertimini, fratres, ut deleantur peccata vestra Act. III. 19.* Ubi conversio haud dubie

dubie, non contritionem tantum, sed & fidem simul involvit, quippe sine qua deleri peccata non poterant. Conf. *Deut. xxx, 8, 9. Ezech. xviii, 33. Act. II, 38.* Atque hunc vocis usum, in libris Symbolicis etiam obvium, amplectuntur illi, qui gratiam regenerationis & conversionis pro iisdem habent, nec proinde distinguunt. Quos quidem inpraesenti adducere quid ad rem attinet? Tandem vero (3) & *strictissima* vocis acceptio obtinet, notatque actionem DEI gratiosam, qua voluntatem & cor hominis, in medio peccati statu, per verbum Legis inhibet, frangitque ac conterit, ut de peccatis serio doleat ac contristetur; donec luce fidei perfundatur ac regeneretur. Atque sic viam patere existimo, ad distinguendam Conversionem ac Regenerationem, ipsaque haec charismata paulo accuratius cognoscenda. Nam per Gratiam convertentem, hoc modo descriptam, homo ex lege consequitur *Contritionem*, ceu partem poenitentiae prioris: per Regenerantem vero, ex Evangelio consequitur *Fidem*, ceu partem Poenitentiae posterioris, ut adeo *Poenitentia ὀλικῶς* dicta, utriusque hujus actus effectus sit, Vid. *König. §. 515.* Et vero haec Conversio ex parte DEI operantis *activa*, ex parte hominis conversi *mere passiva* est; ita tamen ut homo contritus, per vires collatas, vel motus passivos, dolere ipse, ingemiscere, & odisse peccatum recte dicatur. DEUS enim donat vires ad conterendum & credendum; sed exercitium donatarum virium formaliter hominis est, non DEI. Rationem B. Hulfemannus fat, evidentem suppeditat: *quia Denominatio sumitur a causa proxima, mota & permota a causa superiore: homo e-*

lucum formaliter poenitet, dolet, credit, non D E U S Pral.
Form. 6. p. 502. §. XIII. Itaque (1) *Subjectum convertendum*, ut quo,
hominis voluntas, una cum appetitu sensitivo est.
Quippe cui intellectus, jam ex verbo illuminatus, ve-
luti potentiae caecae, facem praetulit: at cum reluctari
subinde ac repugnare non destitisset, nunc Verbo
Legis ceu fulmine concussa, ab exercitio illicito re-
trahitur, compungitur item, & ad sensum doloris &
tristitiae commovetur: Conf. Ps. XXXI, 3. Ps. XXXVIII.
9, 10, 11. Ps. LI, 9. Ac proinde homo tantum addultus
hujus Conversionis Subjectum est; quia infantes
per aetatem capaces non sunt, cum audiendi, tum re-
cipiendi cohortationes Legales; nec agnitio pec-
cati, proprie loquendo, cadit in ipsos, nedum dolor,
de peccato commisso, ex metu irae divinae subortus:
quippe quod *neque dextrum neque sinistrum norint*, ut
Scriptura loquitur. Jon. IV. 11. Vid. Broehm. T. II. Syst. p.
143. 9. 30. Nisi forte cum B. Dannhauero *αναλογον*.
Conversionis & poenitentiae, iisdem tribuere velis.
Hodof. p. 169. (2) *Forma Conversionis*, haecenus descriptae,
consistit in prima voluntatis a tenebris peccati retra-
ctione, concussione & ad Contritionem perductio-
ne. Id quod breviter ac nervose exprimit Form. C.
*Conversio revera nihil aliud est, quam voluntatis refractae
depravatae resuscitatio a Spirituali morte.* p. 180. De pri-
ma enim hominis irrogeniti restitutione nunc loqui-
mur, non de Conversione *secunda*, quam B. Calovius
rectius *millecuplam*, propter quotidianos lapsus dicen-
dam putat, Syst. T. IX. p. 14. Nam sisto mihi hominem ali-
quem ex Paganis, ad quos convertendos Paulus hic ab-
legatur

legatur; siquidem horum proprie est *Conversio*; qui vero in gremio Ecclesiae degunt, & per peccata jacturam gratiae caelestis faciunt, illorum potius *Reversio* est, exemplo filii prodigi declarata *Luc. XV, 19. 3*) *Terminus a quo*; status impietatis est, h. l. ob atrocitatem cum tenebris comparatus. *Terminus conversionis ad quem, proximus*, *Contritio* est, ex motibus a DEO excitatis suborta: hanc enim τὸ ἐπίστανθαι implicite designat *h. l. Remotus* vero, *Status Regenerationis* seu *Lucis* h. t. Cum autem *remotum* appello, nolim, aliquis existimet, fidem a contritione longius removendam, aut sejungendam esse: utraque enim gratia concionibus Christi & Apostolorum arctissimo semper nexu copulatur: *Resipiscite & credite Evangelio. Marc. 1, 15. Act. II, 38. 2. Cor. VII. 10.* Verum, hoc ipso, saltem indigitatur, non per contritionem ex Lege, sed aliunde per regenerationem ex Evangelio lucem fidei oriri, *1. Pet. 1, 23. Jac. 1, 18.* Itaque exitiosus quorundam error ille est, qui inter contritionem & fidem *Desperationem* quandam intercedere oportere docent: eine starcke Zweifel = Angst. Nam textus noster hominem per Contritionem (non quidem tanquam per medium *causalitatis* sed *ordinis divini*) illico traductum cupit ad *Lucem*. Desperatio enim non actus DEI gratiosus, sed hominis vitiosus est, DEIque misericordiam minorem facit peccato, nec a tribunali irae divinae, ad thronum gratiae Christi appellare novit, id quod Caini exemplum testatur *Gen, IV, 13.* *Desperatio & alia vitia contritionis*, B. Höpffnerus, inquit, non sunt tribuenda ipsi contritioni, in essentia sua spectata: quia *contritio in se opus est Spiritus Sancti per legem. Nec Spiritus Sanctus illam operatur; nec lex, quae est norma justitiae divinae, fremi-*

dit

fremittum jubet adversus DEUM & accusationem justitia ejus, in preceptorum sanctitate & comminationis severitate demonstrata. Per accidens autem fit, ut quidam contritorum fremant adversus DEUM, & odio habeant vindicatricem ejus justitiam, quando Lex ab iis postulat satisfactionem pro peccatis, que patrarunt &c. *Isag. de sacra Cœna P. II. p. 57.*

§. XIV. Neque vero per hunc ordinem quicquam ab aliorum doctrinis recedimus; sed saltem pressiore Conversionis acceptionem urgemus, ut utrumque DEI beneficium, *Conversio & Regeneratio*, tanto luculentius distinguatur. Hanc autem vocis significationem in primis observandam censet B. Hulseus. propter Synergistas, quales iterum hodie in orbem redeunt. *Post motas controversias Synergistarum, inquit, pœnitentia & conversionis vocabulum cœpit strictissime sumi, pro conversione transitiva & activa solius DEI, inchoantis in homine illuminationem intellectus, (nobis vero hæc gratia peculiaris & distincta est) & emendationem voluntatis & affectuum. Vind. Scr. p. 500. conf. B. Carpzov. qui itidem strictissimam vocis acceptionem reliquis præfert. Isag. p. 1244. Item Höpfnerum Loc. Theol. p. 451. &c.* Nec aliter hanc gratiam describit Formula Conc. ubi adversus Synergistas & Pelagianos disputat: *Homini nondum renati intellectus & voluntas tantum sunt Subjectum convertendum. Sunt enim hominis spiritualiter mortui intellus & voluntas, in quo homine Spiritus S. conversionem & renovationem operatur. Ad quod opus hominis convertendi voluntas nihil confert: sed patitur ut DEVS in ipsa operetur, (jam regeneratio ut terminus Conversionis sequitur) donec regeneretur, p. 681. Deinde plane in hanc sententiam scribit:*

bit. Eadem & utramque gratiam accurate distin-
guit: *Homo per Spiritum S. illuminatur, convertitur, re-*
generatur &c. p. 662. inimicus DEI est, & manet, do-
nec virtute Spiritus S. per verbum prædicatum & auditum
ex mera gratia convertatur, fide donetur, regeneretur
& renovetur p. 636. conf. p. 582 595. 663. 679. 678. In ipsis
autem Scripturis perquam solennis ac obvia est
hæc vocis acceptio, v. gr. *Converte me Domine & conver-*
tar (conversione passiva) nam postquam conversus
fuero (passive) *agam poenitentiam, (μετάνοιας sumptam*
pro contritione dolore & angore) ac postquam osten-
sus est mihi, percussus femur: pudet me & erubui,) en-
adhuc actus contritionis) *quia sustinui opprobrium ado-*
lescentia mea Jer. XXXI. 19. Joel. II. 12. Hinc etiam per phra-
ses; *referti a prevaricationibus Ez. XVII, 28. 30. recede-*
re a malo Psalm. XXXVII, 27. converti a viis malis, con-
verti a malitia, a peccato &c. Ez. XXXIII, 11, 12. ecquid
aliud innuere putemus, quam primam illam aver-
sionem hominis, a qua ad vitam fidei fit reditus.
Est enim certe alius gratiæ actus, quo DEUS homi-
nem a via peccati retrahit & ad contritionem per-
ducit: alius vero, quo contrito fiduciam donat, Me-
rito Christi innixam. Discrimen hoc tantum esse,
judico, quantum inter effectum Legis & Evangelii
deprehendi possit. Illud igitur ad convertentem,
hoc ad regenerantem gratiam referendum. Scriptu-
ra etiam hanc methodum perpetuo retinet, dum
Conversionem per *remotionem cordis lapidei: Rege-*
nerationem vero, per collationem cordis carnei descri-
bit, Ez. XI, 19, c. XXXVI. 23. Illam per *scissionem cordis,*
D itemque

itemque *fractionem cordis*, Joel. II, 13. Ps. LI. 19. conf. Deut. xxx. 6. Jer. IV, 4. hanc vero per *fracti cordis sanationem* Prophetico stilo exprimit Es. LXI, 1. Porro illam, per *resuscitationem a morte*, Eph. II, 5. 6. hanc per *resurrectionem ex fide*, & per *vivificationem* designat. Col. II, 12. 13. Atque hunc ipsum ordinem, in convertendis Protoplastis adhibitum, retentumq; deinceps fuisse, ad oculum patet. Nam audita Jehovahæ voce, homo quantopere contremiscit, fugit, occultat sese! quantopere facinus admissum dolet! quæ singula conversionis, per Legem, sat clara indicia sunt. Ac promulgato deinceps Prot - Evangelio, quis dubitet quin gratiam Regenerationis, & justificationis ille fuerit indeptus? Gen. III, 7. 8. seq. Idem nexus gratiæ divinæ ex concione Petrina cognoscitur. Nam hac audita, *compuncti sunt corde*, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos: *quid faciemus viri fratres?* (en gratiam conversionis per Legem) Petrus ait ad illos, *pœnitentiam, agite* (en contritionem activam, quæ conversionem passivam insequetur.) & *baptizetur unusquisque vestrum, in nomine JESU CHRISTI* (atque hoc Regenerationis medium est) *in remissionem peccatorum* (sic immediate Regenerationem excipit Justificatio) Act. II, 38.

§. XIV. Postquam igitur compunctum cor hominis, & malleo legis contritum, vel potius instar agri aut vineæ excultum, 1. Cor. III, 9. Es. V, 2. 3. 4. tum demum Evangelium *cadit in terram bonam*, & *dat fructum emergentem atque crescentem*, Marc. IV, 8. Col. I, 6. Atque hinc Evangelii fructus, Fides est, postea comparata, cum grano sinapis, *quod cum seminatur, minus est omnibus*

omnibus seminibus, quae sunt in terra, & cum seminatum fuerit, exurgit, & fit majus omnibus oleribus Marc. ib. v. 31, 32. Itaque proximum χάρισμα, **REGENERATIO**, seu gratia regenerans est, qua homo vitam spiritua- lem seu fidem salvificam consequitur. Atque hæc regeneratio, ratione DEI, per Evangelium operantis, *activa*, ratione subjecti autem perinde, ut supra Con- versio, *passiva* est. Utramque significationem con- jungit Joannes his verbis: *Omnis qui credit JESUM esse Christum, ex DEO natus est* (passive) *& omnis qui diligit eum, qui genuit γεννήσαντα* (active) *diligit & eum, qui natus est ex eo, γεγεννημένον* 1. Jo. V, 1. Uti proinde ad sui conceptionem, & lucem vitalem homo pure se pas- sive habet, nec quicquam confert; ita quoque homo ad sui regenerationem, παλιγγενεσίαν, vel accensio- nem adeo lucis spiritualis, nihil quicquam agit, vel cooperatur: sed ἐκ τῆς Θεᾶς, h. t. item ἐκ τῆς πνεύματος 1. Jo. I, 6. per Verbum Evangelii regeneratur 1. Pet. I, 23. Nec potest ostendi alia actio, per quam is, qui cre- dit JESUM esse CHRISTUM, sit formaliter renatus, at- que hæc ipsa, qua per Verbum accenditur fides. Nam luculenta nimis connexio illa est: *qui credunt in nomen ipsius; non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed DEO nati sunt* Jo. I, 13. Conf. Jo. III, 6. 1. Jo. IV, 2. Matth XVI, 16. Dialectice diceres: *qui nati sunt ex DEO, (per verbum ἀκρόν ἢ ὄρατῶν fidem operan- te) illi credunt in nomen ipsius.* Itaque 1.) Subjectum, quo fides seu vita spiritualis recipitur, *voluntatem car- nis* esse dicimus, ex Jo. I, 13. cap. III, 6. sed illam Legis fulmine ante percussam, ut nunc ἀποδοχῆον seu domi- cilium, esse possit, quod fiduciam salutarem ex Evan-

gelio recipiat. Uti enim mens sedes est *notitiæ & assensus*, i. e. fidei materialiter spectatæ, quæ & irrogenitorum est: sic voluntas receptaculum *fiduciæ*, si fidei formam & animam quasi consideres, quæ non nisi regeneratorum. Sobria hæc Philosophia est, quæ ita potentias distinguit, non Chimerica, ut hodie cavillantur aliqui, nec a Scripturis ipsis aliena. Nam cum *Cor & Spiritus* in sacris literis sibi contradistinguntur; illo voluntatem, hoc intellectum designari constat. *Vid. B. Lys. Syst. p. 715.* Vicissim, cum solius cordis fit mentio, utræque potentia, propter motuum conformitatem simul intelliguntur; quæ observatio, B. Seb. Schmidii est, *Diff. Form. Conc. p. 47.* Jam, modo voluntas, sedes fidei seorsim constituitur, adeoque *voluntas carnis, & voluntas DEO conformis*, aperte sibi opponuntur *Jo. I, 13.* item *1. Pet. IV, 2, 3. Ephes. II, 3. seqq.* modo utraque potentia, Subjectum fidei, nomine *Cordis* designatur, ut: *credo ex toto corde filium DEI esse Jesum Christum, Act. VIII, 37. Si credideris in corde tuo, quod DEUS illum excitavit a mortuis, salvus eris Rom. X, 9.* In hac simplicitate persistamus, donec mystici Philosophi demente & voluntate nobis dederint clariora. (2) *Forma* Regenerationis omnium consensu, est Spiritualis vitæ largitio, ut Kœnigius noster habet, seu vera spiritualis vitæ communicatio, ut loquitur Ven. Senior noster, *in Theol. Bibl. p. 131.* vel *fiduciæ in corde nostro excitatio*, juxta B. Calovium *Bibl. Ill. ad Io. III. 5.* alii per donationem fidei eam efferunt, eodem sensu; alii denique *per collationem virium credendi* eandem describunt: sententia nihil hinc discrepante. Nam vires illæ vel recipiunt objectum salutare, & sic formaliter
ipsa

ipsa sunt fides: *Io. I, 12.* vel extra hanc receptionem, considerantur, & sic mere passivæ sunt, donec Christum, ceu formam & vitam fidei complectantur: quorum phrasis pertinet: *fide apprehendere Christi meritum, &c.* Etsi enim *receptio* s. *ληψις* ratione soni verbum activum sit, tamen ratione *sensus* est passivum, uti tenebræ recipiunt lucem *Io. I, 5. 11.* ut miseri, accipiunt promissum *Gal. II, 14.* Hinc Paulus apprehensum se esse (passive) a Christo dicit, *Pbil. III, 12.* Contriti corde sunt fessi ac onerati, qui non agere, sed (passive) refocillari dicuntur. *Matth. XI, 29.* Sunt pauperes illi Spiritu & lucentes, qui non nisi in Christo solatium inveniunt, *Matth. V, 34.* Ac proinde falsum est; fidei vitam & activitatem, in apprehensionis actu consistere, qui Meritum Christi antecedit, & charitatem tamen connexam habeat. Tota enim fidei efficacia pendet ab objecto, Christo, quod apprehendit, ut rectissime Gerhardus docet, & ex *Jo. XI, 25. 1. Jo. V, 11, 12. Gal. II, 20. Pbil. I, 21. Col. III, 3.* demonstrat, de *Just. §. 121. 181.* Apprehensio autem est actus, ut sic dicam, passivus, Danhauerus inquit, activa quidem voce (Grammaticè explicatus, revera tamen passivus, qui sibi patitur benefici, *Hodof. p. 1340.* B. Lyserus eandem vocat, passivam receptilitatem, item, potentiam passivam, & hanc ipsam a DEO donatam *Eph. II, 8.* Receptionem autem in animo hominis, perinde ac in speculo, fieri statuit, ex *2. Cor. III, 8.* sic ut in illo *nativitas, Passio, mors & resurrectio Christi* refulgeat: Deoque hominem acceptum reddat, *System. pag. 1530. 1523.* Nec aliud natura hujus rei admittit: siquidem in omni unione alterum extremorum rationem actus, alterum rationem potentiae passivæ sustinet. Jam vero & hic quædam admittenda est unio, utpote inter ap-

prehensionem & bonum apprehensum: inter fiduciam voluntatis, & Christum in Verbo oblatum. Cum enim ex relatorum genere illa sint, fieri non potest, quin simul natura existant, & sese invicem constituent: adeo, ut si fides, vel fiducia extra Christum spectetur, ne quidem sit fides. Nam per receptionem Christi demum est, quod esse debet, id est, vera salvificaque fides. *Quotquot enim receperunt eum; iidem illi sunt, qui crediderunt in nomen ipsius. Jo. 1, 12.* Quam quidem unionem, si recte expendas: *formalem fidei*, vel ut Lyserus vocat *spiritualem*, dixeris, ut adeo ab *unionemystica*, ceu illius effectu, adhuc distinguatur. Non enim tantum per $\lambda\eta\psi\iota\nu$ vel $\alpha\pi\omicron\delta\omicron\chi\eta\nu$, sed etiam per inductionem Christi describitur: *quotquot baptizati estis, Christum induistis, Gal. III, 27.* Item: *in uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, 1. Cor. XII, 13.* Vid. *Carolus in b. l. quin & κώλλησις seu agglutinatio cum Christo, in unum spiritum dicitur 1. Cor. VI, 17.* Hinc phrasis $\pi\iota\varsigma\iota\varsigma\ \epsilon\nu\ \tau\tilde{\omega}\ \alpha\mu\alpha\tau\iota\ \tau\tilde{\epsilon}\ \chi\rho\iota\varsigma\tilde{\tau}\tilde{\omega}$: Itemque $\pi\iota\varsigma\iota\varsigma\ \epsilon\nu\ \chi\rho\iota\varsigma\tilde{\tau}\tilde{\omega}$, toties iterata, aliquam certe unionem inter Christum & hominem evincit. Quemadmodum igitur homo per animæ unionem animatur & vivit; ita homo irrogenitus per Christi receptionem, & spiritualem cum illo unionem regeneratur, & spiritualiter vivit. Nam *justus fide sua vivit, Hab. II, 4.* Paulus vero de se inquit: *Per fidem, dabo Filii DEI, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me, Gal. II, 20.* Vicissim, sicut homo in generatione actum primum & entitativum vitæ naturalis consequitur, quem per motus vitales, velut per actum secundum & formalem, deinde exerit: (embryo enim nondum actu ratiocinatur, ridet, loquitur, utut

poten-

potentiam illorum actuum jam habeat): ita homo ir-
 genitus, κατ' ἀναλογίαν, in ipsa regeneratione fidem, ceu
 actum primum & entitativum vitæ spiritualis indi-
 piscitur, qui in motus deinde spirituales, suo se ordi-
 ne diffundit. Est enim fiducia non ante Christum,
 sed cum Christo unita demum, *vita ex DEO*, *Eph.*
IV, 18. vita abscondita cum Christo in DEO Col. III, 3.
imo semen vitæ est, 1. Jo. III, 9. quod per incrementa.
καρποφορεῖ, atque germinat; adeoque in Justificatione
DEVM reconciliat, 2. Cor. V. 19. R. V. 10. In Unione mystica
cor ut templum adaptat, ad excipiendam SS. Trinita-
tem Jo. XIV, 23. in Sanctificatione illud a reliquiis for-
dium purgat Act. XV, 9. Et sic undiquaque per fidem custo-
dimur ad salutem 1. Pet. I. 5. Tandem (3) de extremis
hujus actus dispiciendum est. Terminus Regeneratio-
nis a quo, in abstracto, est ἀπιστία seu infidelitas: Terminus
ad quem, Fides seu lux vitalis, b. t. lux in Domino
Eph. II, 8. vita Spiritualis Jo. III, 6. Vicissim, Terminus
a quo, in concreto: homo per legem contritus qui-
dem, sed adhuc sub ἐξουσία τῆς σατανᾶ, h. t. adhuc fi-
lius iræ. Terminus ad quem, in concreto, est nova crea-
tura, seu filius DEI: quotquot enim receperunt ipsum,
illis dedit ἐξουσίαν τῆς υἰοθεσίας Jo. I, 12. Sic ergo per Re-
generationem ex filio iræ fit filius gratiæ: ex pote-
state Satanæ transfertur in potestatem DEI, h. t.
Nam qui genitus est ex DEO, hunc malus non tangit,
1. Jo. V, 18. DEUS eripuit eum e potestate tenebrarum,
& transtulit in regnum filii sui dilecti: in quo habet
redemptionem, per sanguinem ipsius, (en Regenerationis
consequens Justificationem) remissionem peccatorum
Col. I, 13. 14.

§. XVI. En igitur novam creaturam, quæ ex regeneratione prodiit, juxta illud: *DEUS* progenuit nos, ut essemus primitia creaturarum suarum, *Jac. I, 18*. Item *Si quis in Christo est, nova creatura est, 2. Cor. V, 17*. En etiam filium DEI, ex Evangelio vel Lavacro Regenerationis renatum: *omnes enim filii DEI sunt, per fidem in Christo, Gal. III, 26*. Sed cum nuditatem suam & labem congenitam celare nequeat nova creatura; cumque filius ille DEI sub reatu degat, nec dum pro genuino declaratus sit, JUSTIFICATIO succedit, quæ illud præstat, quæque cum Regeneratione, puncto Mathematico arctius, connexa est. Vix enim fingi momentum potest, quo Meritum Christi recipiat homo, id est, credat, nec tamen illico fundatam in Christi Merito gratiam impetret, & a reatu culpæ absolvatur. Quæ etiam causa fuit, nonnulli Theologorum utramque hanc gratiam pro una eademque habuerint, nec descripserint sigillatim. *Vid. Hulsem. Brev. c. XI, t. II*. Nos vero ut singulare distinctumque hoc beneficium agnoscimus, ac profecto tantum, ut non appareat, cum quo per suam *ἑξοχήν*, contendi facile queat. Quanta enim quæso hæc *χρηστότης* DEI est, hominem, tot peccatis fœdatum, pronunciarum justum, eidemque cum Merito Christi fide recepto, Christi simul sapientiam, justitiam, & sanctitatem adscribi atque donari, *1. Cor. I, 30*. Distinctam vero hanc gratiam esse, ex textu nostro ad oculum patet; qui reliqua omnia beneficia huc, velut ad centrum quoddam remittit: *τὰ λαβεῖν αἰτίας ἁφῆσιν ἁμαρτιῶν, ut accipiant remissionem peccatorum*. Hoc enim ad ipsam Justificationis formam pertinere, quis nescit? Ipsa vero peccatorum remissio fidem in
homi-

homine justificando supponit : quandoquidem
 DEUS illum justificat, qui est ex fide JESU, Rom.
 III, 26. Rom. IV, 5. vid. Koenig. §. 545. Itaque, ordine
 natura, inquit B. Calovius, precedit Regeneratio Justifi-
 cationem. Primum enim opus est regeneratione, ut fidem
 consequamur, postmodum ut per fidem justificemur Bibl. Illustr.
 ad Job. III, 5. Atque hæc connexio ipsius Scripturæ
 est: Regeniti sumus, in quem finem? ut justificati illius
 gratia heredes efficiamur juxta spem vita aterna Tit. III, 7.
 baptizetur unusquisque in nomine Jesu Christi (en nexum
 & discrimen) in remissionem peccatorum, Act. II, 38.
 Credimus in Jesum Christum, ut justificemur ex fide Chri-
 sti, non ex operibus Gal. II, 16. Quod igitur Subjectum
 attinet, consensu omnium, homo peccator est, qui
 tamen ex gratia regenerante fidem habet & credit,
 Rom. IV, 5. Regeneratio fidem in nobis ponit, qua appre-
 henditur justitia Christi: non enim nisi per Regenerationem
 fides justificans in nobis existere incipit, B. Dorschei ver-
 ba sunt Tr. de Gratia, p. 299. Neque vero otiosa hæc
 fides aut torpida, sed cum efficacissimo conjuncta
 bono, vel maximè operosa est: unde & practica hæc
 fiducia Theologis appellatur, quæ præter receptionem,
 totius cordis & voluntatis in merito Christi recumbentiam in-
 volvat Koenig. §. 899. Nunc enim objecto suo velut basi
 innititur, ideoque ὑπόστασις appellatur, Hebr. XI, 1.
 nunc velut in petra recumbit: ecce pono in Sion lapidem
 ἀποργωνιστον, electum & pretiosum; qui crediderit (recu-
 buerit quasi) in illo, non pudebit 1. Pet. II, 8. unde ἀνά-
 παυσις seu requies animarum, Matth. XI, 29. & Theolo-
 gis eodem sensu recumbentia appellatur. Ego vero sem-
 per tecum, apprehendisti manum dextera mea? deficiat caro

E

mea



mea & cor meum, petra tamen cordis mei, & portio mea.
DEUS est in aeternum. Mibi vero adherere DEO bonum
est, dum pono in Adonai fiduciam meam, ad enarrandum
omnia opera tua, Ps. LXXIII, 23. seq. Jehova robur meum, pe-
tra mea, DEUS meus, rupes mea, in quo confido: scutum meum
& cornu salutis meae, refugium meum. Ps. XVIII, 3. Ipsaq; hæc
fides πίστις est, seu confidentia, quæ ad justificandum
requiritur, Confide fili, remittuntur tibi peccata, Matth.
IX, 22. Παρρησία est, seu fiducia appellandi ad tribunal; Ac-
cedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur
misericordiam, & gratiam inveniamus, Hebr. IV, 16. Πληροφροσία
est, qua plenis quasi velis ad portum contendimus:
Cum igitur, fratres, habeamus libertatem ad eundem in sancta
per sanguinem Jesu: accedamus eum vero corde ἐν πληροφροσίᾳ
πίστεως, Hebr. X, 19. conf. Rom. IV, 20, 21. Atque hujus quidem
tanta vis est, ut ex complexu Mesfiæ, velut animetur,
Jacobus & superior recedat: Non dimittam te, nisi benedi-
xeris mihi, (justitiam mihi impertieris.) Gen. XXXII, 27.
Apprehendi eum (en unionem) nec dimittam eum, (en
actum quasi ex unione emanantem) Cantic. III, 4. cap. II,
6. Confer exemplum Cananææ, quæ postquam rece-
perat Christum ex sono verbi, venit, clamat, orat, con-
tendit, Matth. XV, 22. Sed unde hæc tanta vis, und vita
fidei, quæ tot actus edit vitales? Jam vivam & activam esse
fidem, dicit ille, antequam Christum apprehendat, saltem ut
operibus sedem hic figat. Quasi vivere hominem ac
ambulare diceres, antequam animam receperit: ἄτο-
πον. Ex Christo salutis fonte unice hæc vita est. Audiamus
Scripturas: in Christo habemus fiduciam & accessum, Eph. III,
12. In Christo, πίστις ἰσχύει, i. e. fidem vim & robur habet,
Gal. V, 6. Omnia valeo in Christo, qui me corroborat Phil. IV, 13.
in

In Christo Jesu corroboratus sum, 1. Tim. 1, 12. Tantummodo in Je-
bova אֱלֹהֵינוּ justitia & robur: ideo in Jekova justifica-
ficabantur. Es. XLIV, 24. Hinc Königius noster inquit: vis
justifica competit fidei non in se, & quatenus est apprehensio, &
actus noster, sive in se & in sua natura, sive ex liberali DEI
estimatione seu acceptilatione dignitatem aliquam seu ma-
gnam sive parvam habens, sed unice ex objecto justifico appre-
hense (τῷ ἀμαρτί) Rom. III, 25. Res eo redit, nihil ex nobis
ad consequendam justitiam, sed quidvis ex Christo esse
ut opera hinc excludantur, gratia DEO vindicetur,
Rom. III, 24. Conf. Vener. D. Sontagii Diff. de vera fidei
forma, nuper admodum editam.

§. XVII. Itaq; 2) de Forma Justificationis facile judica-
tur: quippe quæ duobus potissimum momentis absolvi-
tur: uno *εργτικῶ*: non imputatione seu remissione peccatorum:
altero *δικτικῶ* ac positivo: imputatione justitiae seu meriti
Christi. Nam homini justificando duplex incumbit
malum: unum *δικτικόν* seu damnabilis peccatorum
nostrorum ac injustitiæ reatus; alterum *εργτικόν* seu
defectus justitiæ, quæ inesse debebat. Igitur & duplici
medio opus erat per Justificationem, cum remissione
peccatorum, quæ priori malo; tum imputatione obe-
dientiæ ac justitiæ Christi, quæ posteriori mederetur.
De altero nemo facile dubitat, vel per ipsum hunc
textum: qui ἀφ' ἑσῶν ἀμαρτιῶν adducit. Alterum vero
ex Rom. IV, 5. 6. V, 19. VIII, 4. 2. Cor. V, 21. Phil. III, 9. &c.
solidissime adstruitur. Neque enim Imputatio hæc res
inanis, aut putativa est, ut criminantur adversarii;
sed actio potentissima ipsius DEI, realissimum DEI
judicium, quo homini credenti, id est, cum Chri-
sto per fidem unito, adscribit, adjudicat, ac donat Me-
ritum ac justitiam Christi. Cum ergo verissima DEI

actio fit: qua non homo sed DEUS ipse homini credenti imputare iustitiam dicitur, *Rom. IV, 6.* certe pro fictitia illam habere non decet cum realissima donatio sit, dicente Apostolo: *DEVS proprio filio non perpercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Rom. VIII, 32.* Nunquid pro umbratica & putativa illam habeamus? Fundamentum hujus imputationis, cum in DEO gratiose nobis bona salutis impertiente, tum in unione spiritali fidei consistit. Quia enim Christus ab homine recipi per fidem & sic eidem appropriari voluit; ideo quoque participem illum reddere dignatus est bonorum, suo ipsius merito partorum. Utque tanto certior de hac re fieret homo; DEUS insuper, publica velut declaratione, spirituale hoc vinculum confirmavit, & per hoc Sponsam in omnia Christi Sponsi bona intromisit. 3) *Terminus a quo*, homo injustus ac peccator, at idem tamen credens est: qualem Paulus constituit, *Rom. IV, 5.* *Terminus ad quem* homo justus, & in ipso iudicio DEI sanctus & innocens: *Nihil enim condemnationis est in iis, qui per fidem sunt in Christo Jesu, Rom. VIII, 1.*

§. XIIII. Postquam in ipsius DEI iudicio pro justis ac innocentibus declarati sumus; ingens quasi torrens charismatum exundat, aliudque in aliud influit, ut difficile propemodum sit, nexum illorum ac discrimen reperire. Qui enim coram tribunali divino pronuntiatus est justus; hunc Pater recipit in filium, unde gratia adoptans seu ADOPTATIO est; Filius in Sponsam, unde gratia desponsans, seu DESPONSATIO est; Spiritus S. in suum templum; Unde gratia inhabitans seu UNIO fidelium MYSTICA cogno-

cognoscitur. Singulæ namque Personæ in hominem
justificatum, affectum complacentiæ singularem de-
clarant, eundemque in Scripturis sibi appropriant:
unde sacris literis hic insistere, omnium tutissimum
esse duximus: Equidem singula nunc persequi non va-
cat: summa proinde capita rerum attingemus. A-
doptionem, constat, Patri in Scripturis tribui; Nam
*DEVS Pater prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per
Jesum Christum Gal. IV, 4, 5. Eph. I, 5.* Notat proinde actum
DEI gratiosum, quo ille hominem quondam aliena-
tum a se, nunc sibi reconciliatum inter suos dome-
sticos, imo filios recipit, ut paterno affectu & privile-
giis hæreditatis fruatur. *Eph. II, 19. Rom. VIII, 17.* Etsi enim
in Regeneratione jus filiationis consequatur ille, per
fidem, tamen cum adhuc censeatur minorennis, per
publicam pronunciationem, quæ in justificatione fit,
ad usum fructum bonorum omnium admittitur;
Apostolo rem ita explicante *Gal. IV, 1, 2, 3.* Desponsatio
Filio adscribitur *Ex. XVI, 8, 9. Hof. II, 7. Eph. V, 25. 2. Cor. XI, 2.*
qui Sponsam suam, & nominis & honoris & omnium
bonorum, sanguine suo partorum, actu reddit partici-
pem donec illam ad cœlestes nuptias introducat. Deni-
que Unio fidelium mystica, totius quidem SS. Trinita-
tis actio est, qua DEUS Trinunus cum homine creden-
te per fidem conjungitur, ut in illo habitet: peculiari ta-
men modo Spiritui S. vendicatur, utpote qui domi-
cilium hoc instruere, & velut templum aliquod reli-
giosius adornare dicitur *1. Cor. III, 16. 2. Cor. VI, 16.* Atque
hæc omnia Fidem, seu receptionem Christi, ut basin
substernunt, cui innituntur. Nam ex fide est jus
in Deo Jo. I, 12. Ex fide desponsatio Hof. I, 7. Ex fi-

de unio hæc mystica *Eph. III, 19*. Quam quidem cau-
sam esse putes, cur Servator, tabulis hæc hoc
epiphonemate obsignet: πίσει τῆ εἰς ἐμέ. *per fidem in*
me. Atque adeo de plenitudine ejus omnes accipimus gra-
tiam pro gratia, i.e. in exhaustam gratiæ affluentiam. *Io. I, 16*.

§.XIX. Verum iis omnibus enumerandis ecquis suf-
fecturum se putet? Nobis constitutum est, ea tantum
connectere charismata, quæ in ὑπογραμμῶ Paulino, al-
legantur. Excipit autem Justificationem & illa, quæ in-
de fluebent, SANCTIFICATIO, seu gratia sanctifi-
cans, quæ hominem peccatorem ita immutat, ut intel-
lectus, puls errorum tenebris, illuminetur, voluntas
emendetur, appetitus ad prava inclinans coerceatur.
Igitur sic tabulas vocationis finit Servator: κληρον ἐν τοῖς
ἁγιασμένοις λαβεῖν; & quidem λαβεῖν τῆ πίσει εἰς ἐμέ. *Per*
τὸς ἁγιασμένους, credentes intelligi; dubium non est. Sed
unde hanc appellationem sortiantur, primo quidem
intuitu non satis apparet. Est enim quidam ἁγιασμός,
qui nobis donatur per gratiam justificantem: qua
Christi sanctitas evasit nostra; vel, ut Apostolus loqui-
tur: qua *Christus nobis factus a DEO est, sapientia, justitia,*
ἁγιασμός & sanctificatio *1. Cor. I, 30*. Ego pro iis sanctifico me
ipsum, Servator inquit, ut sint & ipsi sanctificati per veri-
tatem. *Jo. XVII, 19*. Atque hæc sanctitas adeo nostra per
fidem est, ut inde quoque denominemur: Sanctificati
sumus οἱ ἁγιασμένοι ἐσμέν, per oblationem corporis *Jesu Christi*
semel peractam, *Hebr. X, 1. Cor, I, 2*. Deinde & ἁγιασμός in-
ternus & habitualis est, ad quem homines, viribus,
a DEO acceptis, contendere debent. Et tum qui-
dem active de DEO, nunquam vero de homine
in *Nov. Test.* nisi passive, adhibetur. Sic ut ἀγιάζειν
sem-

semper DEUS, homo vero ἀγιάζεσθαι dicatur. Interim tamen Synonyma, ἀγνίξεν, καθαρῖξεν & similia de homine leguntur, quippe qui se ipsum quoque purificare i. Jo. III, 3. mundare corda Jac. IV, 8. DEO ad hanc actionem concurrente, jubetur. Itaque ἡγιασμένοι h. t. sunt, qui, cum per imputationem Christi ἀγιασμόν, tum per inchoatum sanctimoniam studium hoc nomine, ab ipso Servatore, compellantur. Unde adeo sanctificans gratia manifesto colligitur. Ceterum κληρον λαβεῖν ἐν ἡγιασμένοις, non est h. i. sortem accipere in communionem sanctorum, ad quam a cultu idolorum traducebantur Pagani: utut hic sensus non tam excludendus, quam subordinandus sit: sed sortem alterius vitæ consequi. Nam insequitur remissionem peccatorum, h. t. a qua non demum ad Ecclesiam contendimus, quippe quod in illa jam sumus, sed sortem omnibus sanctis communem, quoad jus, consequimur. In Ecclesia vero idonei reddimur ad participationem sortis sanctorum in lumine Col. I, 12. Estque hæc descriptio sortis vitæ æternæ, ut κληρονομοί; credentes vero πληρονόμοι θεῶν, ἢ συγκληρονόμοι τῷ χριστῷ appellentur. Rom. VIII, 17. i. Cor. VI, 9, 10. Apoc. XXI, 7. Unde adeo & GLO-RIFICATIO seu gratia, qua æternæ salutis participes reddimur, haud obscure indigitatur. Ac Sanctificationis quidem *subjectum* homo peccator est, sed jam regenitus & justificatus. Nisi enim in Christo sit, non poterit ferre fructum. Jo. XV, 5. In Christo Jesu demum conditus est ad bona opera Eph. II, 10. conf. Rom. VIII, 1. Ex quibus conficitur, hanc gratiam, ipsa regenerante & justificante posteriorem esse. De Forma ex descriptione adducta constat. Terminus a quo, peccati Domini-


¶




um, *concretive*, vetus homo est; *Terminus ad quem* sancti-
tas habitualis, *concretive* novus homo, *Eph. IV, 22. Col. III,*
10. Deniq; cum Sanctificatio regeneratione & justifica-
tione posterior sit, difficile est ostendere, ubi & quando
homo renovari incipiat. Aliqui temporis momento
distingui illa putant, uti *Scherz. Syst. p. 485.* & alii. Quidam
plane miscent hos actus, & quod solius gratiæ divinæ
est, humanis meritis contaminant. Mediam eligimus
viam cum Form. Conc. *Primum in conversione, per Spiritum*
S. fides, ex auditu Evangelii, in nobis accenditur; Illa vero
apprehendit gratiam DEI in Christo, qua persona justificatur.
Cum vero persona jam est justificata, tum etiam per Spiritum
Sanctum sanctificatur: ex ea vero renovatione & sanctifica-
tione deinceps fructus, hoc est, bona opera sequuntur. Et
hæc non ita divelluntur, quasi vera fides aliquando & aliquan-
diu stare possit cum malo proposito, sed ordine causarum &
effectuum antecedentium & consequentium, ita distribuuntur,
p. 692. Ipsa etiam Renovatio distinguenda: alia in Bapti-
smo, seu lavacro Regenerationis & Renovationis contingit,
Tit. III, 5. alia post Baptismum continuatur, *Eph. IV, 23.*
Col. III, 10. illa radicaliter est in fide, hæc in actus forma-
les emanat; illa momentanea est, hæc successiva: illa
actio solius DEI, homine passive se habente: in hac
concurrit homo & cooperatur: in illa frangitur pri-
mum dominium peccati, in hac exurgens denuo,
labefactatur, *Vid. Dorsch. de Gratia pag. 198.* Glori-
ficantem denique gratiam definire non licet:

cum nullis unquam limitibus vel
terminis circumscribi
possit.

S. D. G.
☞ (☉) ☞





753962

ULB Halle 3
001 854 02X





Sb.

2

10/12







66 68

Q. B. V.

DISPUTATIO SOLENNIS,
QUA
NEXUM ET DI-
SCRIMEN DONO-
RUM GRATIÆ,
EX
TABULIS
VOCATIONIS PAULINÆ

Act. XXVI, 17, 18.

SISTET

P R Æ S E S

JO. GEORG. NEUMANNUS,
SS. Th. D. ejusdemq; Prof. Publ. Alumn.

Elect. Ephorus, Acad. Bibliothecarius, h. t.

D E C A N U S,

&

Pro supremis in Theologia honoribus

consequendis

defendet,

M. GOTTLIEB WERNSDORFIUS,

SS. Theol. Prof. P. Extraord. & Fac. Philos. Adj.

Ad D. Decembr. A. O. R. clis lxxc XCIX.

Horis ante - & pomeridianis.

WITTENBERGAE, ex OFFICINA MARTINI SCHULZII, ACAD. TYPOGR.